DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DIABETE MELLITO.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

DIABETE MELLITO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi Admodum Viri

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES BARTER BENNETT,

HIBERNUS.

SOCIET. REG. MED. EDIN.

SOC. EXTRAORD.

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. HON. ET

PRÆSES ANNUUS;

NECNON,

SOC. NUPER HIB. MEDIC. SOCIUS,

AD DIEM 12 SEPTEMBRIS, HORA LOCOQUE SOLITIS.

Unde ergo post tot detecta nova non accessit major arti medicæ firmitas?

VAN SWIETEN.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

APUD ROBERTUM ALLAN.

MDCCCI.

DANIELI LANE,

DE CORCAGIA,

ARMIGERO,

JOANNES B. BENNETT,

S.

Vir Spectatissime,

Hanc occasionem quam mos hujus academiæ mihi obtulit, palam testandi, quam TIBI TUISQUE *beneficiis maxime devinctus sum, lubentissime arripio. Civi quidem omni carus es; quicquid enim saluti communi contulisse videbatur, id a te semper, et præsertim temporibus hisce periculosis, enixè consulebatur.*

Etsi vero Cives tibi plurima debeant, etsi benevolentia vestra prorsus singularis, morum suavitas, et vitæ integritas omnibus notissimæ sint, ingratus quidem haud injuriâ, existimarer, si amicitiam, quâ me, a die illo infausto, quo fatum ineluctabile patriam medico atque Chirurgo peritissimo, te fratre delectissimo et me, præceptori atque amico fidelissimo, heu! spoliavit, nunquam cumulare desiisti, silentio prætercam.—Vox revera deficit—Vale Vir egregie, et crede quod de hac animum semper gratissimum geram, et quod ad extremum vitæ periculum eam meminisse juvabit.

Dabam Edinb. prid. Id. Sept. MDCCCI.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DIABETE MELLITO.

JOANNE B. BENNETT AUCTORE.

ORGANA, quæ urinæ fecernendæ inferviunt, multis et fane haud levibus obnoxia funt vitiis, graviffimis fæpe daturis originem ærumnis, morte fola finiendis. Inter horum triftiffima Diabetes haud immerito recenfetur; optimo igitur jure medicorum attentionem vindicat; et fane vindicavit. Neque alius extat morbus, cui, nuperis annis, majorem impenderunt laborem aut quem diligentius indagârunt medici; neque operam perdiderunt,

nam et ejus naturam quodammodo explorârunt et curandi viam feliciorem inierunt. Antiqui in hoc morbo parum verſati, nihil fere de eo quod attentionem recentiorum mereatur, literis mandârunt. An hoc felicitati temporis vel medicorum incuriæ tribuendum, non conſtat. Antiquorum autem diligentia in morbis deſcribendis, Diabetem tunc temporis rarius ſaltem occurriſſe, ſuadet.

GALENUM eum bis tantum, per totum vitæ curriculum vidiſſe, apparet ; ſic enim habet, " E- " quidem eum bis vidi, ſupra modum ſitientibus, " infirmis atque idcirco affatim bibentibus, celeri- " terque per urinam reddentibus epotum tale, " quale biberant *." Dulcedinem autem urinæ, ſignum, quod maxime eminet, ex toto neglexerunt : WILLIS eam primum detexit †, et DOBSON felici

* GALEN. de Locis Affectis, Lib. VII. cap. 3.

† Doctor GIRDLESTON antem affirmat, Herculem Saxonium, priuſquam WILLIS innotuit, hanc notaſſe ; non autem ut mihi videtur, ſat valida ratione.

felici fucceffu veftigia ejus premens, rem iteratis experimentis, ultra dubium pofuit.

Diabetes non æquo impetu in omni regione graffatur: Britanniam præ aliis infeftare videtur, et Scotiæ incolæ eo fæpius plectuntur. LOMMIUS, unum tantùm hujus morbi exemplum, fe vidiffe affirmat; et FRANK, de Diabete agens, fic procedit:—"Rariffimam ægritudinem dixerunt effe "Diabetem five Dipfacum, ac nos ipfi, viginti per "annos, in patria Germana, diverfas inter gentes, "medicinam exercentes, modo tria, quæ multis "nec unquam fe offerunt, hujus morbi confpeximus exempla *."

Duas hujus morbi fpecies vulgo enumeraverunt auctores; *Infipidam* nempe, et *Mellitam*. Certe, fi ulla fit apud auctores fides, Diabetes fæpe apparuit, ubi urina, accurato examini fubjecta, nullas dotes faccharinas exhibuit. Ex viginti ægris,

* FRANCK de Hom. Morbis Curandis, Tom. V. Lib. V. p. 44.

et amplius qui curæ GREGORII noſtri mandati fuerant, tres priori, et reliqui poſteriore laborabant: et tale ſane inter has ſpecies intercedit commercium, ut hic naturæ ſcrutator accuratiſſimus unam ſæpe in alteram tranſire affirmare non dubitet *. Utcunque autem hoc erit, de Diabete Mellito ſolo hìc agere ſtatui.

Varias hujus morbi auctores protulerunt definitiones; quas inter eminent hæ a Cel. HOME et ROLLO traditæ; eas igitur, hic ſubjunxiſſe non abs re foret:—

Cl. HOME. "Urina aucta et ſubdulcis; ſitis "perpetua; cutis arida; et plerumque ſquam"moſa †."

Cel. ROLLO. "Deſiderium cibi inexplebile; "ſitis perpetua, urina aucta et ſubdulcis; pulſus "fre-

* Audi Prælectiones.

† HOME, Clin. Hiſt. et Experiments, p. 320.

"frequens; calor parum auctus; cutis arida, "cum marcore *."

His adjicere licet "Plerumque cum phymosi et "urethræ ardore," ut Doctor GIRDLESTON bene notat, "As there is reason to believe, that the "phymosis is often the only symptom which has excited the attention of the patient; that symptom "with the sensation of heat in the urethra on "making urine, ought to be noticed in the noso-"logical definition of this disease †."

HISTORIA.

HIC morbus, insidiosè plerumque et subdolè obrepens, diu ante subesse potest, quam ulla signa haud dubia Diabetem adesse testantur. Et hinc forsan,

* ROLLO on Diabetes Mellitus.

† GIRDLESTON, loc. cit. p. 53.

forſan, nulla, ex primo morbi impetu, accurata adumbratio præſertim apud veteres exiſtit, niſi quod in ARETÆO invenire eſt, excipias. Huic autem auctori utcunque eleganti et accurato, non omnino fidendum eſt; de morbo enim (ut ipſe obſervat) parum experientiæ habuit, et forſan nonnulla ſymptomatum, quæ enumerat, vinculo haud indiſſolubili cum Diabete copulantur.

Sitis ab initio moleſtè intenditur; et urina ſolito frequentius redditur: ſed æger, parum ſolicitus, auctum potûs deſiderium in cauſa eſſe, cur urina ſolito copioſius excernatur, ſibi perſuadet. Haud raro quoque appetentia cibi inter prima ſymptomata multum augetur; aliquando implacata edendi rabies urget; ventriculus flatibus diſtenditur, et ſenſus, verbis haud facile deſcribendus, circa præcordia ægro haud parum incommodi creat. Saliva viſcida, ſpumoſa, et albida apparet, et ad eam expuendam ſæpe nititur ægrotans; ſaporem ſubdulcem vel ſubacidum conqueſtus.

Lingua

Lingua a ſtatu ſano parum deflectit; media autem ſæpe albeſcit, dum margines intenſius rubeſcunt.

Gingivæ ſolito rubriores, et tumidæ apparent; dentes haud raro labefacti in alveolis vacillant; dum crines ſine dolore avelli dicuntur. Doloris circa lumbos, vel debilitatis ſenſus ſæpe percipitur; vires gradatim imminuuntur. Calor parum augetur; arteriarum ictus aliquantum incitantur; alvus firmiter compreſſa, catharticis etiam acrioribus ægre movenda; et quæ dejici ſolent, parum fœtent.

Cutis fit ſquammoſa et arida, in rimas dehiſcit, et ſquamulas haud raro deponit:

Morbo progrediente, omnia ſigna fiunt graviora. Fauces arent; ſitis importuna et inſatiabilis ægrum perpetuo fatigat, dum aſſiduus ad mingendum ſtimulus, imperio voluntatis vix auſcultans, noctu fere moleſtior, placidum adimit ſomnum, ægrum

grum continuo ſollicitum tenet, vireſque convellit.

Quantitas urinæ enormiter augetur; omnia ingeſta, ut fidi auctores teſtantur, haud raro exſuperans; ſed media quantitas ex octo ad viginti quatuor libras quotidie excernitur. Nec deſunt exempla, ubi uſque ad, etiam ultra, quinquaginta libras urina profuſa fuerit. Sed qualitas, non minus quam quantitas materiæ excretæ attentionem ſummam éxpoſcit: urina enim attentius explorata, ſolitum odorem et ſaporem ſalinum amiſiſſe, et dotes a ſtatu ſano alieniſſimas adeptam eſſe conſtabit. Color urinæ mel in aqua parcius ſolutum ſæpe multum refert; plerumque minus ſaturata quam in bene valentibus, excernitur, et parum ſedimenti deponit. Ex hoc autem urinam ſolitis ſalibus ſpoliari colligere haud fas eſt; ſi enim portio urinæ haud exigua vaporationi ſubjiciatur, ſecundum experimenta Celeb. Hope accurata admodum, qui hujus rei indagandæ modum primùm feliciter inſtituit; hi

hi ſemper, ſi urina peritè tractata fuerit, elici queant *. Cruſta oleoſa ſæpe obducitur; odor ſubacidus, et ſapor ſubdulcis invenitur.

Chemicè tractata, non ſolita exhibet phænomena; aqua enim calcis, vel alkali cauſtico adjecto, nulla (ut vulgo receptum eſt.) ammoniæ indicia ſeſe oſtendunt. Si urinæ hoc morbo laborantium unciæ ſedecim vaporationi ſubjiciantur, ex uncia ad unciam cum dimidio materiei tenacis, ſubfuſcæ, ſaporis nauſeoſi et ſubdulcis, quæ fæces ſacchari ex toto refert, obtineri poteſt. Si cum hoc extracto acidum nitricum idoneâ quantitate diſtillatum fuerit, hac oxydatione, acidum oxalicum formatur. Urina Diabeticorum mutationibus quas ſponte ſubit, relicta, non, ac in ſanis, continuo in putredinem ruit, ſed fermentata vinoſa e quibus alkohol elici poteſt, prius fiunt. Neque acidis, neque calore cogitur.

* Audi Prælectiones Clinicas et Chemicas.

Morbi invicti indies ingravescunt signa. Etsi adsit importunissima et perpetua voracitas, æger, propter turbas quas ciet, cibum omnigenum reformidat et aversatur; arentibus faucibus, sitim restinguere nulla valent pocula. Calor molestus viscera extorret. Dolor circa lumbos perpetuo adest, et urinæ retinendæ haud raro amittitur potestas, quæ acris continuo stillicidis elabens, partes vicinas, et glandem penis præsertim excoriat.

Febrili ardore, haud raro hecticam simulante, perpetuo plectitur ægrotans. Pulsus debilis, frequens et intermittens evadit. Volæ manuum et pedum plantæ molestissime incalescunt. Cutis arida, pergamenæ instar, nullo madore irrigatur. Ulcera, quæ sanationem vix admittunt, in variis partibus suboriuntur; signa hydropis, vires morbo penitus labefactas testantia, sese produnt. Macie extrema conficitur æger; oculi squallidi, languescentes intra orbitas subsidunt, et convulsiones,

mortem

mortem jam vicinam et enixe exoptatam prægredientes, tandem ſuperveniunt.

CADAVERUM SECTIO.

QUÆ diabeticorum cadavera ſcrutantibus apparuerunt, locum de naturâ et etiam de ſede Diabetis dubitandi adhuc reliquiſſe lugendum eſt; neque enim cuinam præſertim viſcerum, ſi ulli, labes et prima morbi origo inſint, plane ex hujuſmodi inciſione conſtat: varia enim variis ſeſe obtulerunt. Ex pleriſque autem crui poteſt renes fere ſemper a ſtatu ſano aliquantulum aberraſſe, et ſolito capaciores, flaccidiores, et pallidiores apparuiſſe.

BONETUS in tribus caſibus renes flaccidos inveniebat; quod quoque RUYSCH, duo hoc morbo peremptorum cadavera inſpicienti, ſeſe obtulit. LIEUTAUD, cum multis aliis, hoc etiam notat; et ſequentia, ut Cl. Doctori HOME obveniebant, hic recenſeri optimo jure debent:—

" On examining the kidneys, the left was lar-
" ger than natural, and its ſubſtance ſofter.
" There was no uncommon appearance in the
" right kidney, except a greater degree of ſoft-
" neſs. The ſubſtance of both kidneys had a
" ſour odour. The ureters were of a natural
" ſize. The coats of the bladder were ſtronger
" than common, and no lacteals could be obſer-
" ved about the neck of it; as ſome have ſuſ-
" pected that much of the fluid is depoſited in
" the bladder by ſome retrograde action of the
" lymphatics. All the glands of the meſentery
" and meſocolon were enlarged, of a pale colour,
" and firm conſiſtence. The vaſcular ſyſtem of
" the meſentery was rather large. The liver was
" natural, and had ſome firm adheſions to the
" colon. The large inteſtines were much loaded
" with hard fæces. The reſt of the Abdominal
" and Thoracic viſcera were natural *."

MEAD culpam præſertim in Hepar rejecit.
HOME

* HOME, Clinical Experiments, p. 334.

Home non item, ut ſupra videre eſt; et Cullenus perilluſtris ſic habet:—"In twenty inſtances which I have ſeen, there was not any evident affection of the liver *."

Van Swieten renes odorem ſubacidum emittentes invenit.

SIGNORUM QUORUNDAM RATIO.

Sitis et cutis ariditatis ratio ſatis impromptu eſt. Optimè enim innotuit, una ſecretione præter modum adaucta, alias fere imminui. Hinc ſudore profuſius manente, urina parca evadit; et vice verſa. Hydrope laborantes quoque hujus legis cui ſubjicitur œconomia animalis optimum præbent exemplum; fluidis enim copioſius quam in ſtatu ſano ad telam celluloſam vel corporis cavitates determinatis, arent fere fauces, et ſitis perpetua urget.

Odoris

* Firſt Lines, Vol. IV. p. 89.

Odoris ſudoris ſubacidi ratio, nequaquam ex æquo patet. Alii, quibus maxime placet theoria, materiam ſaccharinam ſanguini ineſſe, perhibent, hanc materiem ad fermentationem vinoſam ſubeundam proclivem, ſi non intra corpus, quamprimum ad ſuperficiem pervenerit, in eam rapi. Dum alii, quibus arridet opinio hanc materiem ſpecifica quadam renum actione formari, in ſudoris hujuſmodi ratione reddenda magis hærent; etſi autem hoc concederetur, non huic theoriæ objectio inſuperabilis exinde oritur. Quid enim vetat quo minus credamus actionem vaſorum excernentium cutis, æque ac renum vitiari, quo fit ut hæc materia ſubacida profluat?

Anaſarcæ ſigna, ex debilitate, morbo inveterato ſuperveniente, optimè deducuntur; hinc vaſa extrema laxiora et minus renitentia, humorem uberiùs ſinunt elabi, quem lymphatica, æque debilitata, haud facile reſorbere valeant.

Quantitas urinæ excretæ enormis. Hæc, quippe

ingeſta

ingesta pluribus libris sæpe excedens, ab siti indomita repeti nequit; saltem rationem non plenam reddit, quando ita accidit. Sunt quibus placuit talem urinæ abundantiam humoribus colliquefactis referre. Nulla autem lymphæ coagulabilis indicia in urinâ Diabeticorum unquam apparent; neque enim calore, neque acido sulphurico cogitur *, quod hanc opinionem penitus convellit.

Quod autem verisimilius apparet, vasis cutis bibulis, fluida solito avidius ingurgitandi officium imponunt plerique auctores; et sane resorbentia per superficiem corporis copiosissimè sparsa, humorem ex aere haurire argumentis haud levibus docemur. CRUICKSHANKS, exemplum quod huc spectat, haud facile infirmandum, verbis sequentibus memoriæ tradidit:—

"A patient of mine, with a stricture of the "œsophagus, received nothing either solid or li-

"quid

* Audi Præl. GREGORII nostri.

Vide HOME, Clin. Exp. p. 326, et DOBSON.

" quid into the ſtomach for two months ; he was
" exceedingly thirſty, and complained of making
" no water. I ordered him the warm bath for
" an hour every evening and morning for a
" month. His thirſt vaniſhed, and he made
" water in the ſame manner as when he uſed to
" drink it by the mouth, and the fluid deſcended
" readily into the ſtomach *."

Boni quoque effectus qui, ex corpore oleo inuncto ſæpe profluunt †, idem probant ; urina enim haud ſine ſymptomatum levamine ſæpe ſubito imminui obſervata eſt, quod cutis ſpiraculis hujuſmodi unctione obturatis tribuendum eſt.

Hanc autem opinionem diu paſſim receptam, auctores quidem nuper infirmare aggreſſi ſunt, et ex experimentis de induſtria inſtitutis, dubia multa moverunt, an unquam, cuticulâ illæſâ, aliquid ex corporis ſuperficie abſorberi poſſit. Inter fautores hujus

* Anatomy of the Abſorbent Veſſels.

† Audi Prælect. GREGORII.

hujus ſententiæ maxime conſpicuos SEGUIN et CURRIE eminent. Experimentis autem illius quædam ritè objici poſſunt; multis ſane ambagibus implicata videntur, et aliis quoque quæ exitum omnino contrarium habuerunt, repugnant.

Conſectariis, quæ hic ex caſu, quem narrat, deducit, multa obſtant. Doctor CURRIE, expertus ægrum Dyſphagia laborantem per horam in Balneo immerſum pondere minimè augeri, exinde nullam abſorptionem obtinuiſſe cogit. Hoc autem non ex dictis patet, quippe ægrotans, quando immerſus eſt, jacturam viginti unciarum pondere, quotidie fecit, quæ, calculis ſubductis, ad quinque ex ſex unciæ partibus omni horâ æqualis fuit. Conſtat igitur ſi æger e balneo egreſſus æquè ac quando in id deſcendebat ponderavit, aliquo pro jactura conceſſo, quod pondus amiſſum adequaret, adeptus fuerit, neceſſe eſt. Hinc in balneo quinque ex ſex unciæ partibus abſorptione acceſſio ſit. Quod quoque abſorptionem ulterius confirmat verba Doctoris CURRIE hìc citare licet:—" That the

" ſkin of the patient was always ſoftened, and " the forehead covered with a gentle moiſture in " the bath *." Ex quibus excretionem per cutem augeri colligere fas eſt; hinc alia cauſa cur corporis pondus præter ſolitum imminueretur tunc adfuit, quod neceſſario ex quodam fonte (abſorptione nimirum) compenſari debet. Et ſi alia argumenta in auxilium advocari debent, quo certius confirmetur hæc opinio, ſequentia Doctore memorata notaſſe ſat fuerit:—" That the patient al- " ways expreſſed great comfort from the bath, " with abatement of thirſt; and that ſubſequent " to the uſe of it, the urine had flowed more " plentifully, and became leſs pungent †." Hunc caſum diligentius perpendi, quippe conſectaria ex eo auctoritate tam gravi deducta, unctioni cutis, remedio ſane haud contemnendo et medicis haud parvi nominis ‡ probato obſtarent. Conſectaria ex his caſibus deducta, non ut mihi videtur, firmo

nituntur

* CURRIE's Med. Reports on Water, &c. p. 260.

† Loc. cit. p. 259.

‡ Audi Præl. GREGORII.

nituntur firmamento, et hinc contra facta HALLERO, Celeb. CRUICKSHANKS, et aliis narrata nequaquam valent; quæ absorptionem per cutem probando rationem urinæ præter modum auctæ optimam reddunt.

Professor noster RUTHERFORD ingeniosus, hypothesin qua nodus solveretur, nulla absorptionis cuticularis ratione habita, excogitavit *. Ponit enim hydrogenium redundantem in pulmonibus, oxygenium fortius attrahere, quâ aqua formatur, per renes cito excernenda. Secundum hanc hypothesin, ut quantitas oxygenii enormis quotidie consumeretur, necesse est. An autem hoc unquam fit, ulteriori experientia probandum restat, antequam huic opinioni, utcunque ingeniosæ assentire licet. Hoc autem cum alia causa jam memorata aliquid ad urinam augendam conferri queat.

De dotibus urinæ saccharinis, cum ad causam proximam pervenerimus, dicere melius erit.

* Audi Prælectiones Clin.

DIAGNOSIS,

PAUCIS abſolvi poteſt. Hyſteria, Diabetes inſipidus et eneureſis, ſoli ſunt morbi, quibuſcum unquam confundi periclitatur. Ab hyſteria, profuſione urinæ chronica, ſiti, et virium proſtratione accuratè ſecernitur.

Melleis urinæ dotibus ſcrutatis, diſcrimen inter inſipidum ſymptomaticum, et ſaccharinum diabetem clarè innoteſcit.

In eneureſi, ſenilem ætatem ſæpius obſidente, urina, ægro inſcio, elabitur, et vires minus proſternuntur.

CAUSÆ REMOTÆ.

In his, æque quæ proclivitatem dant, ac quæ morbum prædispositis, cient indagandis, parum adhuc profecerunt auctores; et Diabetes, nulla causa evidente oblata, plerumque sese manifestat. Qui mediam agunt ætatem frequentius quam senes vel juniores hoc morbo corripi dicuntur; et hi qui vitam laboriosam, curis laceratam degunt; et tenui victu ex vegetabilibus præsertim conflato contenti sunt, necesse est sæpius Diabete tententur, quam quibus res amplior domi talibus curis immunes servat; et ut Doctor Rollo opinatur *, status quidam ventriculi morbidus, vitiata succi gastrici secretione comitatus, morbo favet. Causæ inter excitantes memoratæ admodum diversæ sunt. Omnia fere quæ corporis robur infringunt, vel cibi concoctionem impediunt, perturbant, huc referri solent; ut liquorum spirituosorum abusus; potus

* On Diabetes Mellitus.

potus tepidi, ut thea, &c. largius aſſumpti; exinationes immodicæ, ut ſanguinis vel ſeminis jactura nimia; et præſertim urinæ diureticis acrioribus concitatæ; frigus corpori calenti admotum morbum moviſſe conſtat. FRANK hominis niſu vehentiore Diabete correpti hoc exemplum profert:—"Hic ſcilicet ob inſigne humoris ſat longo tem-
"pore impoſitum pondus, poſt octo demum a
"nixu dies, ab inſigni ad ultimas lumborum ver-
"tebras dolore, tandem a febricula hinc inde, ad
"noctem creſcente, correptus, inſigniter, ſitire, et
"*urinas* quaſi *lacteas*, atque adeo copioſas
"excernere cœpit; ut plures per menſes quoti-
"die, nunc ſexdecim, nunc viginti hujus liquidi
"ſubdulcis libras, potum, licet plurimum ingere-
"ret, non parum ſuperantes, per urethram expel-
"leret. Sitis ingens, fames aucta, et macies to-
"roſi prius hominis extrema cum tanta urinæ
"copia collata, hoc in caſu vix adeo *purulentam*
"quam illam quæ diabetem comitatur tabem la-
"tuiſſe indicare videntur *."

His

* FRANCK de Morbis Curandis, Vol. V. p. 40.

His annumerantur pathemata mentis deprimentia, exanthemata retropulſa; calculi renum, vel injuriæ renibus, inflammatione, ſuppuratione, vel ictu illatæ; fæces in inteſtinis accumulatæ.

Hydropi quoque ſuperveniſſe dicitur *. Sed de multis harum minus conſtat; certe nullo diabete ſubſequente, ſæpe applicatæ fuerunt. Aliquid igitur tenebris obvolutum, quod morbo proclivitatem dat, adhuc latet.

PROGNOSIS.

Hæc in nullo fere morbo quam in Diabete infauſtior. Raro enim, ſi unquam medicinæ auſcultat; et eventus felix rariſſime ſperandus. Remiſſiones quidem, ſed admodum fallaces, ſæpe patitur; tandem ſerius ocyus lethalis evaſurus. Si æger robuſtus ſit, viribus et ætate pollens; ſi urina non quantitate permagna excernatur, et materia

* Frank, l. c.

ria ſaccharina haud multum ſcateat; ſi morbus haud morâ invaluerit, et demum ſi idonea opportunè adhibeatur curatio, Prognoſis non erit tam infauſta. Cum autem his contraria accedunt; et æger ſenili ſit ætate, et intemperantiæ deditus; ſi morbus jam inveteraverit, et urina copioſiſſime profuſa, dotibus ſaccharinis abundat; de ægri ſalute deſperandum eſt.

Curſus hujus morbi varius, nunc in ſpatio quinque vel quatuor hebdomadum ægrum jugulat; nunc eum minutatim conſumit, et in plures annos protrahitur. Mortem in propinquo, tumores hydropici, virium proſtratio inſignis, febris hectica, nervorum tenſiones, deglutitio impedita, demonſtrant.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

Ubi parum certi constat, causas quæ factis stabiliri nequeunt, conjecturis sæpe admodum vagis, prosequi haud raro conantur auctores medici; et qui hypothesibus fabricandis delectantur, campum, quo excurrere possunt latissimum in Diabete inveniunt; nec sane occasionem amiserunt, sed deliramentis haud raro oblectari, quam ignorantiam profiteri maluerunt.

Non omnes autem, quas de hoc morbo habemus opiniones in medicorum opprobrium redundant; cum sint quædam attentione dignissimæ. Inter theorias de Diabete prolatas, duæ maximè conspicuæ sunt: nempe, quæ morbum ad defectum assimilationis vel morbidam ventriculi actionem; et quæ ad renes morbido agentes, et materiam a solito diversam secernentēs tribuit. Priori opinioni formam magis definitam nuper induit Rollo

celeb. et argumentis validioribus patrocinar; aggreſſus eſt; concinnè ſic ſententiam protulit:—"This diſeaſe, therefore, we alledge, conſiſts in "an increaſed morbid action of the ſtomach with "too great a ſecretion, and an alteration in the "quality of the gaſtric fluid, producing ſaccharine "matter; and which remains unchanged by a "decompoſition of the vegetable matter taken in "with the food, and a certain defect of aſſimila-"tion, as connected with digeſtion, and which "probably may be owing to an exceſſive activity "of the lacteal abſorbents, ariſing from the pecu-"liar ſtimulus of ſugar in a ſeparate ſtate, or "other matter, but which may alſo depend on a "ſympathetic effect with the morbidly increaſed "action of the ſtomach *."

Qui hanc opinionem tuentur, ut firmetur ſententia, ad ſitim inexplebilem, appetentiam cibi enormem, cutis ariditatem, pyrexiam, vires proſtratas, et ſanguinis dulcedinem præſertim, reſpiciunt.

* Rollo on Diabetes, Vol. I. p. 231.

unt. Quod ad auctam cibi appetentiam attinet, quam hujus hypotheseos fautores, inter prima morbi indicia fere semper ponunt, etsi concederetur, parum proficiunt.

Quid enim vetat, quo minus ventriculus, insigne consensûs organum, renibus insolito agentibus, in consortium rapiatur? Minimè autem verum est appetitum adauctum semper Diabetem procedere. Multi casus narrantur, ubi hic parùm statu solito aberravit; et in decursu morbi cibi fastidium fere semper occurrit, morbo nihilominus quotidie in pejus ruente.

Magnam virium prostrationem, pyrexiam, partem quandam nobiliorem affectam esse demonstrare affirmant. Hoc solùm Diabetem pertinacissimum esse evincit, et morbo diutius protracto, totum systema affectionis particeps fieri, intellectu facillimum.

Quod ad ſanguinis dulcedinem attinet, hoc enim cardo rei vertitur, varia opinio eſt.

Dobson primus ſanguinis dotes, quo clariùs morbi natura eluceſcat, inveſtigavit, et eum guſtu ſubdulcem eſſe aſſerit. Hæc opinio autem aliorum experimentis non confirmata eſt: Home dixit, "The ſerum was ſaline and natural *;" et Hope, Chemiæ Profeſſor noſter cel. ſanguinem Diabeticorum iteratis experimentis accuratiſſime factis, exploravit, et concluſionem haud abſimilem deducit †.

Doctor Rollo ſanguinem Diabete laborantium nequaquam eaſdem ac in ſanis, mutationes ſubire invenit: "In two days, the diabetic blood aſſu-"med a caſeous appearance on the ſurface, which "diſappeared on the evaporation of the ſerum, "and the whole maſs became dry and reſinous in "appearance, without having undergone (unleſs "the

* Home, Clin. Exp.

† Audi Prælect.

" the throwing out a ſlight animal ſmell for two
" or three days, with a mould on the ſurface of
" the craſſamentum, be ſuppoſed marks of it) any
" apparent putrefactive proceſs; and in ſixteen
" days from the operation, it remained in the
" ſame ſtate: whereas the healthy blood exhibi-
" ted evident marks of great putrefaction in four
" days, and was obliged to be thrown away on
" the ſeventh *."

Hinc forſan concludere fas eſt, ſanguinem Diabeticorum, etſi non apparet eum ſaccharum continere, a ſtatu ſano tamen alienari, et dotes quibus propiùs ad vegetabilium naturam accedit, adeptum eſſe. Hoc igitur annuere videtur, vires concoctrices turbari, quo fit ut chylus male paratus, haud penitus in naturam animalem convertitur; ſed non inde plena ſacchari in urina contenti ratio ſequitur. Neque hic e vegetabilibus pro cibo aſſumptis, deduci poteſt; quippe, his denegatis, ſæpe excerni perſtat; et quantitas hujus materiei plerumque

* Rollo, loco citato.

que multo major eſt, quam ex his, utcunque liberaliter devoratis, extrahi poteſt.

His igitur perſpectis, ſunt qui renibus vitium tribui debere, contendunt, quippe qui ſolito flaccidiores, laxiores, plerumque reperiuntur.

Et quidem ſecretionis ſanæ, multo minus perverſæ, leges adhuc minime intellectæ, morbidis quibus ſubjici poteſt mutationibus, limites ponere vetant. Certiſſime autem conſtat, plurimum hanc variare, et a ſtructura organi ſecernentis vitiata, et a materiei ei ſubjectæ natura, doteſque prorſus inſolitas a ſanis alieniſſimas ſæpe adipiſci. Quidam, fundamento haud forſan firmo innixi, perhibent, renes quaſi colatoria, per quos, quicquid diutius retentum ſua acrimonia noxium fieret, parum immutatum expellitur, conſiderari debere *. Renum fere omnino deletorum urinam, ut in ſanis

* Vide Fourcroy's Philoſophy of Chemiſtry.

nis nihilominus secernentium exempla proferuntur *.

Non igitur apud me est tantam componere litem; si autem quod mihi probabilius videtur proferre liceat, vitium quoddam virium, quibus assimilatio perficitur, subesse, quo sanguis non probe subactus, et in hoc statu renibus subjectus, horum intendit et pervertit actionem, dixerim.

RATIO MEDENDI.

In morbo, cujus natura adhuc latet, et qui caussis diversissimis excitari dicitur, nullam medendi rationem regularem et constantem esse, minime mirum. Remedia enim quæ aliis prodesse, aliis nocuisse sæpe visa sunt. Nunc roborantia, nunc infirmantia, astringentia, laxantia, emetica, cathartica,

* Baillie's Morbid Anatomy.

tica, diuretica, variis temporibus in ufum revocata fuere, et fuos habuere laudatores. Nil autem ex his perpetuum; et maléfidæ experientiæ auctoritatem jam dies delevit. Nec etiam ROLLO nuperius profitenti, "That Diabetes is now fo far "underftood as to be fuccefsfully cured," aufcultandum; etfi forfan rationem curandi, quàm anteà feliciorem, inftituit. Hæc præfertim in regimine idoneo confiftit. Vegetabilia ex toto deneganda funt, et fi unquam, propter faftidium quod diæta ex cibo animali crearet, concedenda funt, minima faltem quantitate, et ex his quæ in fermentationem minus prona exiftunt. Caro porcina, vel quæ adipofa et rancida eft, optime convenit; ventriculi latratus melius fedat, formationi materiæ faccharinæ fortius obftat, et in fiti reftinguenda non nihil valere dicitur.

Ex liquoribus fpirituofis fedulò cavendum eft, nifi ufus inveteratus aliquid hujufmodi requirat, et tunc parciffime, utendi funt. Alkohol aquâ dilutum forfan palmam præripit.

Sul-

Sulphuretum ammoniæ hepatiſatum in auxilium etiam advocavit ROLLO; doſis hujus primùm ſit exigua, circiter tres vel quatuor guttæ, ter quaterve in die propinandæ ſunt, quæ gradatim ſecundùm effectus augeantur; nauſea, vel vertigine obrepente ex uſu ejus deſiſtendum. Opium quoque eodem conſilio porrectum, bonos præſtitiſſe effectus dicitur. Emetica ventriculo nocituro onere gravato profuiſſe dicuntur; hoc enim expellunt, ad corporis ſuperficiem humores determinant, et totum ſyſtema, et præſertim ventriculum concutiendo, motus ejus abnormes reprimere ſanioremque cibi concoctionem inducere queant.

Tincturam Cantharidum in quibuſdam caſibus valde proficuam medici quidam, præſertim Dr BRESBEN invenerunt; hic Diabetem hoc remedio non ſemel profligavit: exemplum juvenis aliis incaſſum tentatis profert, qui ſub uſu Cantharidum feliciter convaluit; hæc ſunt verba:—" Tandem " viribus omnino labefactis, et omnibus ſympto- " matis ingraveſcentibus quod conclamatum foret,

" putavi. Et non ignarus, cùm in ſtatu ſano, tum " in morbido, in vias urinarias peculiari modo o- " perari Cantharides, guttas decem de tinctura " earum bis de die ſumendas propinavi. Poſt- " quam medicinam hanc per quatuor dies adhi- " buerat æger, ſymptomata mitiora deveniebant. " Idcirco doſin ad viginti, et poſtea ad triginta " guttas, gradatim auxi. In uſu emulſionis con- " ſilio irritationi cantharidum obviam eundi, eum " durare jubens; hoc methodo vires et caro mi- " ris reſtituebantur modis; quantitas urinæ dimi- " nutionem magnam patiebatur, et ad colorem " naturalem propiùs accedebat."

Alumen, ferum aluminoſum, haud ſine fructu uſurpavit GREGORIUS noſter, aqua calcis eodem tempore liberaliter propiñata.

Doctor FERRIER, Mancunienſis, combinationem Cinchonæ flavæ, uvæ urſi, et opii laudibus effert; et ſe exitûm Diabeti felicem uſu ejus paraviſſe aſſerit.

Sunt

Sunt qui corpus oleo illinendum jubent; et Gregorius, hoc expertus urinam imminui inveniebat.

Longum foret, nec operæ pretium, alia bene multa remedia, quæ diverſis temporibus laudibus cumularunt medici, percurrere, quippe experientia teſte haud comprobata.

Ad ſingula quoque ſymptomata quæ maxime urgeat levanda, ſedulo reſpiciendum.

Alvus ut plurimum compreſſa, catharticis lenioribus; ut Infuſo Tamarindorum cum Senna, Oleo Ricini, Rhœo, ſolvenda eſt; ſi his obſiſtit, ad acriora decurrendum. Ad ſitim reſtinguendam potus aciduli propinandi ſunt; huic fini quoque emulſiones mucilaginoſæ et oleoſæ vim haud levem poſſident.

Si quibuſdam horum remediorum morbus feliciter ceſſit, cura maxima in longum adhibenda eſt,

ne

ne in eum iterum relaberetur ; quæ morbo occasionem dederunt cautiſſimè evitari debent ; et regimine idoneo, leni exercitatione, balneo frigido, et aliis roborantibus, corpus ad priſtinum vigorem gradatim revocandum.

Studiis jam academicis peractis, mihi gratias, modò toto animo cordeque, *Watkins Gulielmo Verling*, Armigero, juris peritiſſimo referre ſupereſt ; cujus ſingularem benevolentiam, dum in celeberrimo Dubliniensi Collegio medicinæ incubui, nunquam non expertus ſum.

Summam quoque voluptatem mihi affert, amico egregio cariſſimoque *Sancto Joanni Galway* de *Mallow*, M. D. qui mecum in hac urbe ſtudia perſecutus eſt, me plurimùm devinctum eſſe publicè teſtari. Diu vivat ! ut ſui cum laude hominumque beneficio medicinam exerceat.

FINIS.